



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XCI. Boemvndvs II. LXV. Arch. XX. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

cuniarum summa, & juratis de pace perpetuò servanda pactis redemptum. Hoc maximè modo vicissitudinis humanæ admonitus, Wormatiensem Episcopatum, quin & Moguntinum denuò sibi oblatum, nullo pacto admisit, sed congregata Synodo pro Clericorum reformatione eò curas omnes convertit, ut Benedictus XI. Ludovico Imperatori faveret, & acta Joannis Pont. rescinderet. Cum Eduardo Anglorum Rege annis proximis habita sunt consilia, & pacta inita multis modis vituperata, præsertim à Francis, quorum Regem Philippum conjunctis armis petere erat animus, multo auro corruptus. Mutato rursus Imperii statu, mutatus Elector in Carolum IV. Ludovico Cæsari subrogatum Imperatorem omne contulit studium, quin cum Carolo Gallis adstitit contra Eduardum, aliis summum jus, aliis summam injuriam clamantibus. Güntherum etiam Comitem Schvvartzenburgicnm à nonnullis Imperii Electoribus in Cæsarem postulatum armis removit. Ultimis etiam exspirantis vitæ annis nunc belli, nunc pacis studio identidem magis inclaruit à Brovero & aliis Scriptoribus dictus *Vir domi forisque prudentiâ, pietate, & fortitudine excellens.* Addere lubet verba ultima: *qui postquam multis partibus Archiepiscopatum amplificasset, extremum vitæ tempus, ut plurimum in Carthusiana solitudine nocturnisque ac diurnis vigiliis orationibusque transegit, Seculi illius lumen & Episcoporum decus.* An. 1354. mortuus sepultus est in summæ ædis choro: Sed. 47.

XCI. BOEMVNDVS II. LXV. ARCH.

XX. ELECTOR.

BOemudus II. ex illustrissima Edendorffiorum de Saræ ponte familia natus, in Sedem Balduini vocatus venit; qui pace cum Trevirorum civibus firmata, & clientelâ diverforum Comitum, oblatis peramicè feudis, sese communire laboravit. Accessit continuò Caroli Cæsaris & favor & gratia, quibus Trevirensium Electori pene negatum est nihil. Unde beneficiorum acceptorum apprimè memor, cum Treviri Imperatorem exce-

Q 3

pissent

pissent Augustum Hospitem, honoris nihil Boemundus prætermisit. Inter dona Cæsari gratissima venit corpus D. Palmatii Martyris Treviris in Bohemiam translatum donante Boemundo. Annis sequentibus auctæ & firmatæ Electorales ditiones. Ætate ad senium vergente, Boemundi mansuetudine abusos fuisse inter alios memorant Philippum Comitem Isenburgicum, & Rupertum Palatinum, quorum hic arces firmandis rebus suis moliri cœpit, jure à Wesaliensibus impeditus: ille verò Gretensteinium non procul Vilmaria excitavit: unde Cuno Falckensteinius senescenti Archiepiscopi in Adjutorem datus, Philippum Comitem cum devicta arce interceptit, & repetita rebellione denuo captum Electoris sui arbitrio reliquit: Elector verò membris omnibus captus morti succubuit an. 1363. Sed. an. 9.

XCII. CVNO. LXVI. ARCH.

XXI. ELECTOR.

Cuno stemate Falckensteinius ab Innocentio IV. Pont. confirmatus & inauguratus, continuo cum civibus, certis partibus est legibus, ut domi res forent quietæ; quem in finem urbi Trevirensium Hebræorum 50. familias indulgit, quæ tributa solverent. Verùm urbs eadem libertatis Democraticæ studio capta, à Cunone vi, ab Imperatore judicio pressa, sensit se frustra oblectari; unde oblatam ab Electore suo pacem admisit. Hic verò ad Diœcesis curam conversus à Winnebergiis arcis Billsteinæ partem coemit. Molsbergum quoque adjunxit Ecclesiæ, & Comitem Silvestrum cum prædonum manu latè grassantem fregit. Andernacenses non minùs potestati sacræ obrectantes non sine multa compescuit. Rebus permultis aliis ritè compositis bella perpetuò declinare studuit, experientiâ præclare doctus æstimare fructus pacis eximios. Tempore pacis exornandis sacris ædibus intentus, D. Helenæ caput ex Galliis Treviros in summam ædem

trans-